

Universitätsbibliothek Wuppertal

C. Valerii Flacci Setini Balbi Argonauticon Libri IIX

Valerius Flaccus Setinus Balbus, Gaius

Lipsiæ, Anno M.DC.XXX

Vorwort

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1194)

MEM TE.



AD LECTOREM.

Anni jam sunt plus minus sex cum in
 Academiâ Lipsiense studiorum gra-
 tiâ mihi vefsanti, inque Humanitatis
 studio operam ponenti, prima de
 edendo Valerio cura animum subiit. Cùm
 enim plurimi commentarentur in Auto-
 res, quos & usus fecerat receptissimos, &
 vetus præteritorum seculorum labor satis
 perspicuos minusq; difficiles, sæpè Valerii
 Flacci vicem dolui, qui neglectus videba-
 tur ab omnibus: vel quia Poëma ejus ob-
 scurum, vel quia ob mendas quampluri-
 mas operâ minus dignum credebatur.
 Quâ tamen ego sive cavillatione, sive iner-
 tiâ parum motus, eò majorem laboris glo-
 riam præominabar, si quis difficultates
 ejusmodi Poëtæ gloriosissimo adimeret.
 Sedulò ergò cùm per literas tum vivâ voce
 incoram apud alias suscitabar, essetne, qui
 antehac in Valerium Flaccum commenta-
 rus fuisset, & nullum longo tempore rescis-
 scere potui præter Carrionem, cujus casti-
 gationes ad tollendâ quidem menda mul-
 tum, ad intellectum Valerii parùm facere
 videbantur. Admovi ergò manum operi,
 spe fretus indubiâ, fore ut per otium non-
 nihil lucis ex me Poëtæ accederet, eumq;
 labo-

ALARDI
 ANNO
 DC XXIX.

laborem pertinace studio longo tempore
 continuavi Paulò post accidit mihi, quod
 rerum Judaicarum Scriptori, qui initio
 operis *ἄρνας δὲ παρτίου* inquit: ὅπερ φιλή
συμβαίνῃ τοῖς μεγάλων ἀπίεσθαι διανοημένοις,
ὄκνος μοι καὶ μέλλησις ἐγένετο, hoc est, Pro-
 gressu temporis quod accidit magna concipiens
 torpor & cunctatio me corripuit. Donec tandem
 fato quodam & meo & Valerii in Daniam profectus à
 Gloriosissimo Dn. Oligero Rosæcrantzio per semestre
 in illustri aulâ Otthonianâ detinerer, ubi contubernio
 filii Gundæi Praefectus, cum nihil aliud, quod
 agerem, esset, curam Valerii resumsi. Cum enim
 omnis generis libris angusta domus instructissima
 esset, faciliè nonnullorum copiam impetravi,
 cumque illis variantes Sabellici aliorumque
 observationes. Carrionis tamen codex instar
 omnium erat, ut qui manuscripti auctoritatem
 tuebatur, quem mihi iccirco solum sequendum
 putavi, reliquis, ubi penitus rei accederent non
 posthabitis. Textum ergò Valerii ad fidem
 Manuscripti, ut ad nos à Carrione pervenit,
 Librariis excudendum dedi. Variantes
 Lectiones Sabellici Carrionisque seorsim
 ad junxi, ut quisque liberum sibi sumeret
 iudicium. Aliorum si quæ fuerunt, ubi opus
 erat,

AD LECTOREM.

erat, commentario addidi, ubi non opus,
 rejeci. Meas non adjunxi nisi maximè ne-
 cessarias. Videbam enim Clariss. Lipsium
 verum esse, ubi in Præfat. ad Tacitum in-
 quit; *Hodiernum seculum remediis laborare, ut
 antiquum illud vitis.* Revera enim sic habet:
 Multi, qui Autorum voculas emendent,
 pauci, qui saniorem sensum adferant, re-
 periuntur. Unde non lux sed tenebræ in-
 terdum majores textui adferuntur. Quæ
 ego morem morum meherculè fastidians,
 à Manuscripti Carrionèi fide contentus
 Præacquevi. Sicubi tamen præter rem Carrio-
 nem emendationem adferre visus est, quæ con-
 tra mentem auctoris fuit, non tanti ejus au-
 thoritas mihi fuit, ut in verba ejus jurarem.
 Videtur enim nonnullis in locis non tam
 Manuscripti fidem, quam Emendationis
 libidinem secutus, quarum hanc illâ suf-
 fulcit. Nec dubitamus ex monstris illis le-
 ctionum, quas adjunximus, eos, qui otio
 abundant, exsculpere posse longè melio-
 res. Poema ipsum, quod concernit, majo-
 ris illud autoritatis est apud omnes rectè
 sentientes, quàm ut ab illiberalibus qui-
 busdam jure merito sperni possit. Non
 enim ideò fastidiendum est, quia ab
 minus capitur; quin eò magis ab his
 pretio haberi debeat. Confer mihi omnes
 omnium ætatum & linguarum Poetas, vi-
 debis

AD LECTOREM.

debis eandem difficultatem, eandem omnium suboriri sortem, si fidelem posterorum curam adimas. Ab Autore est juvenantis quidem, sed excellentissimi ingenii, præstantiorisq; quàm vulgò judicari solet, qui spiritus Poeticos aridis suis metiuntur regulis. Quem quod Carrio Consulem fuisse autumat, frustra est. Non enim ullibi ejus extat indicium, neq; in Historicis, nec Fastis, nec Chronicis. Autor Herculis Prodicii de Principe Carulo sic inscripti, testis est, effigiem ejus Carulo Principi Pataviz esse ostensam, ubi inter alia scribit: *Monstrantur Carulo virorum illustrium Pataviorum effigies, qui suis virtutibus immortalem famam, nacti urbem illam vel Nativitate, vel morie sua decorarunt. Et ne longus sim in enarrandis singulis, quarum imagines Principi tum ostendebantur, ut Tui Livii Romane Historie Principis, cujus etiam ossa per honorificè ibidem marmoreo in sepulchro condita esse adfirmant ut Imperatorum quorundam, item Asconii Pediani Oratoris, Arruntii stelle & Valerii Flacci Poëtarum, Julii Pauli Jurisconsulti, qui Alexandro Severo Imperatori à consiliis fuit. De quibus Poëta Germanici versus de urbe Patavinâ canentis:*

*Hic etiam Paulus, Juris legumq; peritus
Et juvenas alii meruerunt urbis alumni
Hæc quoq; Valerio patria est, qui Jasona lau-*

Ant.

Hæc

AD LECTOREM.

Hæc Stephanus Vinandus in Hercule
 Prodicio, quo magnæ Valerium æstimationis
 fuisse evincit, jam inde à primâ ætate.
 Neq; ideò parvi pendendus est quia Apol-
 lonium sequi videtur, ut multi cavillantur.
 Eodem enim nomine Virgilius rejici de-
 bebat, qui Homerum, alii qui alios sequun-
 tur. Ecce Nasonis illa:

— usq; adeò nulla est sincera voluptas
 Sollicitumq; aliquid letis intervenit.

Mumquid ea de re culpanda sunt, quia ex
 Apollonio desumpta esse videntur?

ἀλλὰ γὰρ ἀποτὸς Φῦλα θυγατέων ἀνθρώπων.
 Τερπώλης ἐπέφημ' ὄλω ποδὶ σὺ δέ τις
 αἰεὶ
 πικρὴ παρμέμβλωκεν εὐφροσύνησιν αἰνίη.

An præterea illa ipsius Virgilii?

At Regina gravi jam dudum saucia curâ

Quæ itidem ex hoc Apollonii, ubi de Mo-
 deâ canit:

— βέλῳ δὲ ἐνεδαίετο κῆρη
 Νέρθεν ἰπὸ κροδίη πύρι εἴκελον.

Et rursus illa:

Multa viri virtus animo multusq; recursat
 Gentis honos: hærent infixi pectore vultus
 Verbaq; nec placidam membris dat cura quie-
 tem.

Quæ itidem Apollonius de eadem habet:

AD LECTOREM.

Περὶ δ' ἄρ' ὀφθαλμῶν ἔτι οἱ ἰνδάλλετο
πάντα

αὐτόσθ' οἷον ἔλω. Et aliquanto paulò
post:

— ἐν ἕασι δ' αἰὲν ὀρώεθ'

αὐδῆτε μῦθοίτε μελίφθρες, ἕς ἀγόρευσε.

Et infinita alia, de quibus Macrobius lib. XVII.
*Alium non frustra dixi Virgil. quia non de unius
racemis vindemiam sibi fecit, sed in rem suam
vertit, quicquid ubicunq; invenit imitandum, ad-
eò ut de Argonauticorum quarto libro, quorum
scriptor est Apollonius librum Eneidos suæ quar-
tum totum penè formaverit ad Didonem vel A-
neam amatoriam continentiam Medea circa Ja-
sonem transferendo. Quæ de Flacco rudior
aliquis miraretur: Nunc quia Virgilii sunt
laudat & extollit.*

Non est ergò, cur quisquam sanioris ju-
dicii eo nomine Valerium traducere velit.
Quin nos tanti facimus, ut post Virgilium
Poetarum Principem, & qui ei proximè
accedunt paucissimos, unice Poetæ nomi-
ne dignum æstimemus; non ob Spiritus
tantum generositatem, sed & verborum
sententiarumque majestatem. Nec frustra
fuit ante nos Quintilianus, aliiq; præstan-
tissimi viri idem honorifico suo elogio
contestantes. *Julium autem Scaligerum nullâ
aliâ de causâ Valerium carpere, nisi illâ so-
lâ, quod*

quod ingenium illud capacissimum & maximis torrentibus æquum, campus iste sustinere, quin obrueretur non potuit, rectè cum Clariss. Barthio sentio. Illi enim versus, quos nostro substituit, longo intervallo à Valerianis absunt, ubi canit:

*Æquora fatidicæ primum sulcata carine
Cognatumq; cano fulgentis tergoris aurum.
Divæ opus: Illa feras Scythici quæ Phasidis
oras, &c.*

Ubi ille quidem in suavitate Valerio objicit, ipse vero vice grandis & sonora Orationis, quæ exordium hoc vel invito ipso exornat, spondeos illos segnes substituit:

*Cognatumq; cano fulgentis tergoris aurum.
In quibus summa insuavitas est, propter syllabas
tardas & sono pari horridè cadentes. At illud ful-
gentis tergoris quam absurdum! Melius scri-
psisset:*

*Fulgentisq; cano cognatum tergoris aurum.
Quod melius nemo non videt. Adeò & illum vi-
rum in suis amor suus excæcavit. Idem judicium,
quoq; de ceteris esto, quos Flacco substituere cona-
tur, quos in suaves versus, segnes, & minimè omni-
um ingeniosos, quivis deprehender, nec Historiæ
adeò, nec Poëricæ dignitatem sustinentes. Hæc
Clariss. Barthius, cujus ego verbis libenter
assentior & quivis credo de hæcæcata mentis.
Video enim cum hîc tum alibi, Belgam
magni nominis verum fuisse, cum in qua-*

AD LECTOREM.

dam Epistola ait: *Non omnia Ejus viri iudicia
recta esse & incorrupta.* Si quis etiam ob men-
da hunc Nostrum à classe Excellentium
Poetarum excludere velit, is se in illo desi-
derare sciat, quod cùm aliis Poetis, tùm ve-
rò in Poetarum Principe Virgilio multis in
locis desideratur. Rari quippe ad nos eo
nomine intemerati pervenerunt, ne unus
quidem. Quod enim de Plinio conquerit-
ur Rhenanus, nihil ei æquè necuisse, quàm
præcipitem quorundam temeritatem, qui
id illico, quòd ab aliquo docto privatim in
ipsius libro repererant adnotatum, in Edi-
tiones referre sunt ausi, id non solùm de
Valerio, sed & plerisq; aliis usurpare pos-
sumus. Magis ergò ignorantia arguendi
sunt illi, qui tanti Poetæ contemptum præ se
ferunt, quam vitiosi amoris, qui ejus ge-
runt patrociniùm. Obscuritatem autem
quod prætendunt, tanti illa non est, ut à fi-
deli expositoris manu tolli non possit. Præ-
terquam enim quòd *Carrio, Agidius Mase-
rius, Laurentius Balbus, & alii,* medicam ma-
num attulerunt, etiam *Barth. Fontius* studio
suo præiisse fertur. Ego ut hætenus eorum
operam nondum usurpavi oculis: ita verè
de me adfirmare possum non facilè versum
à me præteritum, qui luce indigere vide-
batur, cui non facem prætulerim. Atq; ut
alii luculentiorum adferant, en viam præo
indi-

AD LECTOREM.

Indice rerum & verborum absolutissimo.
 Superesset utinam Carrionis Manuscriptus
 codex, evidentiore haut dubiè opem
 nonnullibi Valerius sensisset. Nunc quoni-
 am illa, quæ majoribus nostris ademit ob-
 livio, ævi sequentis sedulitas retrahere ne-
 quivit, non tantùm ubi potui exactior, ve-
 rum etiam, ubi non potui, studiosior fui.
 Nonnulli minutiarum curiosuli ubi lectio-
 nem exhibent tolerabilem, quam textui
 infarciunt non adjectâ simul monstrosâ le-
 ctione, quæ est in antiquis codicibus, im-
 pediunt magis sagaces, ne auxilium autori
 adferant, id facturos feliciter, si stricturæ
 veteris lectionis bonâ fide illis fuissent re-
 præsentatæ. Sed querelam non instituo. Æ-
 quus lector, quicquid hoc est damni (quod
 tamen, quantum sentio, perexiguum est)
 ex se ipso refarciet, ubi mea aliorum com-
 mentatis contulerit. Ferunt obscuram
 Myrmecidis ex ebore operam facilius vi-
 sam, si nigras fetas adhibuissent: idem Va-
 lerij Poemati accidet, quod sine præviâ
 manu ductione vix est, ut quisquam intelli-
 gat. *Caspar Barthius* laudabilem nuper ope-
 ram quibusdam locis attulit in Adversa-
 riis. *Fontius* si quid orbi literato communi-
 cavit, ego non defraudem. Primi in hoc
 opere illustrando sudârunt *Sabellius*, cujus
 variantes lectiones adjungo, *Baptista Egna-*

AD LECTOREM.

quis, qui integros commentarios promittit
in Racemationibus (nemini tamen hactenus
visos) *Johannes Scoppa, Johannes Baptista
Pius, Angelus Politianus, Janus Parrhasius, Jo-
hannes Brodeus, Johannes Hartungus, Paulus
Leopardus, Guilielmus Canterus, Johannes Ca-
statio, Jacobus Nicolaus Loënsis.* Sed obiter
tantum & non nisi incidenter, inq; unum
saltem, alterumque locum: adeò ut eorum
nihil præter jactantiam ad nos pervenisse,
Carrio jam antè me verè dixerit. Quæ ex
illis sunt, facile studiosus Lector dignoscet
ab illis, quæ ex me, meoq; labore; cum ad
cujusq; allegata nomen sit adscriptum, id-
eoq; nullo negotio à meis discriminanda.
Sed nec reliqua tamen ludicra vel puero-
rum commenta, sed series eruditissimo-
rum scriptorum testimoniis & judicii sta-
bilita. Poeta Chons Philetas, cum exilior
aliis existeret, pedibus globos plumbeos
subjecit ob corporis exilitatem, ne à ventis
everteretur: ita commentarius hic fulci-
tur sententiis & opinionibus gravissimo-
rum virorum. Imitatus enim sum Prome-
theum, de quo Horatius:

Fertur Prometheus addere Principi

Limo coactus particulam undiq;

Defectam, & insani Leonis

Vim stomacho apposuisse nostro.

Sic ex variis Scriptoribus varia decerpsi,
eaq;

AD LECTOREM.

aequè potissimùm, quæ huic tenebricoso
 Poeta lucem dare possent. In quibus ta-
 men ipsis, Candide Lector, si quod non ar-
 rideat, inveneris, consolabitur me, quod
 scribit Varro : Neq; in bonâ segete nullum
 est spicum nequam : neq; in malâ non ali-
 quod bonum. Quocunque enim oculos
 mentemq; convertas, nihil tam absolutum
 reperies, cui non aliquid addere melioris,
 vel demere sequioris possis operationis.
 Hoc tamen præter jactantiam adfirmo, Va-
 lerii carmen, quod hæctenus nemo se fastus
 est intelligere, jam porrò perspicuum vel
 saltim minus obscurum operâ meâ evasis-
 se. Quam laudem, si à te, benevole Lector,
 obtinero, satis credo, patebit, cur & stu-
 dium in hoc Poeta illustrando posuerim,
 & cur jam tandem absolutum in ad-
 spectum Eruditorum produ-
 xerim. Vale, & si me-
 reor, fave.



TESTE